

sum. Omnem operam dedi, ut me multitudini educerem, et aliqua dote notabilem facerem: quid aliud quam telis me opposui, et malevolentiae quod morderet ostendi?» Vides istos, qui eloquentiam laudant, qui opes sequuntur, qui gratiae adulantur, qui potentiam extollunt? Omnes aut sunt hostes, aut (quod in aequo est) esse possunt. Quam magnus mirantium, tam magnus invidentium populus est.

III. Quin potius quaero aliquid usu bonum, quod sentiam, non quod ostendam. Ista quae spectantur, ad quae consistitur, quae alter alteri stupens monstrat, foris nitent, introrsus misera sunt. Quaeramus aliquid non in speciem bonum, sed solidum et aequabile, et a secretiore parte formosius. Hoc eruamus. Nec longe positum est; invenietur: scire tantum opus est, quo manum porrigas. Nunc velut in tenebris vicina transimus, offensantes in ipsa, quae desideramus. Sed ne te per circuitus traham, aliorum quidem opiniones praeteribo; nam et enumerare illas longum est, et coarguere: nostram accipe. Nostram vero quum dico, non alligo me ad unum aliquem ex Stoicis proceribus. Est et mihi censendi jus. Itaque aliquem sequar, aliquem jubebo sententiam dividere. Fortasse et post omnes citatus, nihil improbabo ex his, quae priores decreverint, et dicam. «Hoc amplius censeo.» Interim, quod inter omnes Stoicos convenit, rerum naturae assentior. Ab illa non deerrare, et ad illius legem exemplumque formari, sapientia est. Beata est ergo vita, conveniens naturae suae: quae non aliter contingere potest, quam si primum sana mens est, et in perpetua possessione sanitatis suae; deinde, si fortis ac vehemens, tum pulcherrima et patiens, apta temporibus, corpori sui pertinentiumque ad id curiosa, non anxie tamen; aliarum rerum, quae vitam instruunt, diligens, sine admiratione cujusquam; usura fortunae muneribus, non servitura. Intellegis, etiam si non adjiciam, sequi perpetuam tranquillitatem, libertatem, depulsis his, quae aut irritant nos, aut territant.